



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

52. Quid de illorum qui vtuntur ritibus & cæremoniis alterius diœcesis?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41077**

R. Si periculum est in mora & ita morientis necessitas spiritualis postulat, poterit ceremonias, puta orationes, psalmos exorcismos, vel abbreviare, vel in totum omittere, & sic in aliis, vt ante annotauimus.

¶ Dices 2. Poteritne quoque novos aliquos ritus oportunos ad vitandum contagionis periculum effingere?

R. Non poterit, hoc enim vt ante dictum est, ad superiores pertinet, de qua re postmodum adhuc redibit sermo.

### Q V Æ S T I O L I I.

*Quid de illorum qui vtuntur ritibus & ceremoniis diœcesis?*

Quæstionis explicatio.

S V M M U S Pontifex Paulus IV. desiderio Philippi Hispaniarum Regis satisfacere cupiens, anno millesimo quingentesimo nono, diœcesim Leodiensem amplissimam in plures diuisit assignauitque singulis suos Episcopos, quorum quilibet nuper rituales librum concripsit, cum aliqua etsi non magna rituum & ceremoniarum diuersitate, vnde fit, vt cum plures hæ diœceses sint vicinæ, & quibusdam locis intermixtæ, non raro pastor vnius incidat in



dat in librum rituales alterius, eoque utatur in ministrandis populo suo sacramentis: huius rei occasione quaeritur, quid de hoc modo ministrandi censendum sit?

*Responsio*

**E**T hic modus ordinarie tolerari non debet, poterit tamen in casu pestis variis ex causis excusari. Probat prior pars quia quiuis pastor tenetur ordinarie in officiis pastoralibus uti ritibus diocesis suae, colligitur ex Concilio (a) generali sub Innocentio III. celebrato, & ante ostendimus ex Paludano, Soto & aliis. Posterior patet, (b) quia necessitas lege caret. Si ergo pastor incidat in peste infectum, & non habet ad manum parochiale suae diocesis, non peccabit si utatur ritibus diocesis vicinae, praesertim quia praesupponimus, illos esse Catholicos & ab ecclesia approbatos.

*a Refertur de offic. iudicis ordinarij, c. quoniam. b c. peruenit. De consuet.*

Dices, quale peccatum est uti ritibus alterius diocesis?

R. Si necessitate cogente fiat, nullum erit, si vero sine necessitate non potest non esse ad minus veniale satis graue, si enim singuli pastores pro libitu suo vellent uti ritibus, modo vnius modo alterius diocesis, inueheretur in ecclesiam maxima confusio contra illud (c) Apostoli: *Omnia honeste & secundum ordinem fiant in vobis.*

*c I. Cor. 14*

I 3

QVÆ-